



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Cap. V. De Doctrina Christiana, Catechesi, & Scholis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

scire, quis ille qualisque sit, qui sæculo hoc, infinitis lectis turbato, oves, Christi Sanguine redemptas, divini verbi pabulo reficiat.

*Conc. Tri-  
dent. dd.  
locis.*

4 Pro Concione ad populum dicent singulis per annum Dominicis festisque diebus, atque alijas etiam in Quadragesima, pro Diœcesis hujus more: dicent vero modestè & graviter ac cum autoritate. Et, si quidem Scripturæ testimonia producenda sint, editione vulgata utantur, sacrasque literas non ex suo sensu, sed

*Conc. Tri-  
dent. sess.  
4. in De-  
cree. De  
Edit. &  
l. i Tim.  
3. 15.*

*i Tim. 4.  
2 Tim. 2.  
ad Tit. 3.*

Ecclesiæ sanctæ (quæ columna & firmamentum veritatis est) lètentia, & Patrum sanctorum doctrina, interpretentur. Nemo aniles fabulas, nemo fcommata, sales ac jocos, nemo incertas atque apocryphas historias, aut suspecta jure miracula, pro suggestu recenseat.

5 Nemo publice Magistratum, seu Ecclesiasticum seu Civilem, carpat, perstringatque, aut aperte quempiam ita objurret, ut intento quasi digito eum monstraret, parcat personis, dicat de virtutis; multo vero maxime caveat, ne in ullam religiosam familiam aut statum Ecclesiasticum invehatur. à mutuis etiam æmulationibus, contentionibus, & moribus abstineant, ne ab invicem consumantur, & Parochianis suis pariant, ob dissensiones, scandala. Si quis vero habeat adversus aliquem querelam, ad Nos aut Vicarium referat. Qui in legem hanc deliquerit, à concionandi munere submovebitur, poenitque à Nobis infligendis subjacebit.

*Ex indic.  
li. prohibi-  
tiorum  
& Bullæ  
Confir.  
Pii IV.*

6 Hæreticorum libros nemo Concionator sine exprela, eaque in scriptis obtenta, & Nobis exhibita, Sedis Apostolicæ facultate, legat; argumenta vero eorundem, quæ plus semper ostentationis & vani in vulgus plausus quam soliditas, eruditio vel ædificationis habent, operose ne enucleet, sed ad captum populi, ad stabiliendam veram Fidem, ubi opus erit, nervose resellat.

7 Materia Auditoribus suis aptam Concionatores sumant; absterreant eos à vitiis omnibus, præfertim à blasphemis, juramentis, convitis, detractionibus, mendaciis, ebrietate, &c. Cohortentur vero serio atque impene, ut Magistratu utriusque pareant, præcepta Dei, & leges Cærenoniasque Ecclesiæ, necnon Concilii Tridentini decreta, & laudabiles Diœcesis hujus consuetudines, accurate observent; sacro Missæ Officio, non Dominicis duntaxat festisque diebus (ad quod sub reatu peccati lethalis obstricti sunt) sed aliis etiam solemnitatibus, Concionibus & Catechesibus, usque ad finem constanter & decenter interficiant.

8 Potissimum vero elaborent, ut populo religiosam penitentia sacramentalis & Eucharistia frequentationem commendent. Sub finem Concionis, pias ad Deum preces, pro omni hominum genere, præfertim vero pro Magistratu, pro salute communis, pro pace &

tranquillitate publica, pro vivis & mortuis, fundant. Dies etiam festos ac solemnes, stata jejunia, supplications & processiones, ita promulgent, ut simul indient, quando, quo modo & fine, solemnitates hujusmodi sint institutæ.

### CAP. V. De Doctrina Christiana, Catechesi, & Scholis.

I A Proba Puerorum atque Adolescen- tum informatione, non privata tan- tum familiarum paucarum, sed publica etiam & communis Reip. totius salus atque Ecclesiæ integritas dependet. quamobrem necessarium plane est, ut omnes à teneris, atque ab adolescencia, portent jugum Domini, in pietate & bonis moribus ac litteris instituantur, ut una cum pietate ac Religione honestas conjuncta ab incunabulis imbibatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Christiana doctrinæ, & explicandi Catechismi studium sibi habeant cor- di ac curæ; cogitentque, se tanquam bonos optimi patris familias Ministros, multo dili- gentiore operam, spargendæ, in novali Do- mini agro, Catholicæ Religionis fementi im- pendere velle, quam inimicus homo in super- feminandis zizaniis (quæ eveli deinde æger- rime queant) collocet.

2 Singulis itaque diebus Dominicis, atque etiam, si opus est, Festis, elementa Religionis Catholicae, juxta methodum Catechismi Ro- mani, perpicuè explanent Pueris, Parochi, Plebani, Vicecurati, vel per se, vel per alios ad functionem hanc idoneos, tempore pome- ridiano sub horam duodecimam vel primam; idque in oppidis & pagis observari jubemus: atque, ut rudit pueritia ad piam hanc exercitationem animetur, affluatque copiosius, lin- gua vernacula, per breves & concisas quæstiunculas, suaviter atque humaniter Fidei ru- dimenta, hoc est, ea quæ ad Fidem, Spem, Charitatem, Sacraenta, & Officia Iustitiae Christianæ pertinent, continenturque Oratio- ne Dominicæ, salutatione Angelica, præceptis Dei & Ecclesiæ, virtutum studio, viorum fu- ga, exponant, diligentioribusque munuscula donent, vel aliena liberalitate conquisita; vel aliunde comparata.

3 Enimvero, si contingat in pagis, vel ob hyemis asperitatem & aeris intemperiem, vel ob nimiam Parochianorum ab Ecclesia distan- tiam, aliave de causa, à Nobis aut Vicario no- stro approbanda, quot septimanis Pueros con- venire non posse ad Catechismi audientiam; habeatur saltē bis singulis mensibus; aut, si ne id quidem fieri possit, Parochus singulis Do- minicis, ac præterea per sacros Adventus Do- minici & Quadragesimæ dies, de Mysteriis & Articulis Christianæ Fidei, in Concione per medium horam differat. Invitet porro & al- liat etiam Iuvenes ac Seniores ad Catechis- mum

*Conc. Tri-  
dent. sess.  
24. t. 4.  
De ref.*

*Cont. Tri-  
dent. d.  
loco.*

mum audiendum, cum illi sæpenumero magis quam pueri indigeant instructione. Parentes vero propositis etiam poenis admoneat, ut liberos suos ad doctrinam Christianam mittant. Nec ullum ad Eucharistiam percipiendam, in eundumve matrimonium, admittat, nisi doctrinam Christianam obeat, & Catechismum calleat. Quod verò plurimum plentissimum hoc opus Magistratus Secularis industria attentioque promoveat; idcirco ei præcipimus, ut eo tempore, quo Catechismus habetur, omnia tripudia & choreas, lusus & spectacula, compotationes & levitates, filere jubeat.

4 Modus tradendæ hujus disciplinæ jam dudum in Catechismo Colonensi, Germanice edito, præscriptus est; quem observari ab omnibus volumus, qui in eo consistit, ut pueri, pia emulatione excitati, præeuntem in preces Catechistam sequantur, deinde ipsi interfesse interrogent ac respondeant, explicacionem postea audiant, & repeatant. Hoc officium qui prætermiserint, ierio a Nobis aut Vicario nostro punientur.

5 Magni etiam momenti est, ut pueri puelæque non in Templis solum religiose, sed in Scholis etiam recte erudiantur. tenera enim haec ætas, prona in malum, nisi navis instar secundo flumine defluentis retineatur, in via dilabitur; atque ea re ex Ecclesiastici monito erudienda & curvanda est, ut stultitiam, dorso ejus alligatam, virga discipline fuget. Magna itaque cura adhibenda est, ut in singulis Dicecessis nostra Civitatibus, oppidis, pagis frequentioribus, sint aut erigantur vel converventur Scholæ, pro fexus utriusque pueris, Latinae vel Germanicae; deinde ut Scholis illis præficiantur, cum præscitu Nostro, Præceptores Catholicæ, pii, eruditæ, bene morati, ac tales, ut ad eorum vitam ac mores, tanquam ad normam, puerorum vita ac mores exigunt componique possint; qui commissos sibi discipulos sedulo ac studiose doceant, non tantum bonas litteras, sed etiam pietatem. Mandamus vero hujusmodi Ludimoderatoribus, ut discipulis suis, sive Latine dicant sive Germanice, Catechismum minorem P. Petri Canisii edicendum dent, Christianis eos moribus imbuant, doceant verecundiam, modestiam, pietatem erga Deum & Parentes, erga Magistratum reverentiam & observantiam; libros Hæreticos, obscenos, curiosos, ipsi non solum non proponant aut explicit, sed Pueris etiam subducant, ne blandum incautis virus instilleatur. Sicubi autem pueri & puellæ Scholam unam frequentent, hæc ab illis sejungendæ erunt, ne quid indecens committatur. Atque ut hæc omnia pro rei hujus gravitate fiant, sincerius præcipimus iis omnibus, ad quos Scholarum cura atque provisio, in loco quovis, de jure vel consuetudine spectant, ut ad hæc attendant, Magistros, Scholas, Pueros fre-

querter visitent, dentque operam, ut nihil in iis contra Religionem Catholicam, castanam pietatem, bonisque mores peccetur.

#### C A P. VI. *De Seminariis.*

1 VT porro tam divini verbi prædicatio, atque institutio puerorum, quam alia Ecclesiastica munia per idoneos & tam gravi functioni aptos homines obeantur & administrantur, utiliter admodum sanxit sacrosancta Tridentina Synodus, ut in præcipuis Episcopatum urbibus constituantur Seminaria, è quibus optimi quique ad curandam animarum salutem diligentur, cui sancti, uti & cæteris ordinationibus, cum lubentes volentes paramus, incumbemus sedulo in eam curam, ut, difficillimis licet temporibus, in Vrba Nostra Osnabrugensi, Seminarium quam fieri potest citissime erigatur & constituantur, è quo idoneos in vinea Domini laboratores petere, & procurandis sacræ munieribus præficere possimus. Quod cum non utile solum, sed necessarium etiam sit, ad Religionem Catholicam stabilitam proferendamque, ad Paræcias cura Nostræ ac Fidei commissas recte gubernandas, ad subditorum Nostrorum instrunctionem atque ædificationem, hortamur omnes in Domino, ut conatus hosce Nostros liberalitate sua atque omni ope promoveant; quo suppetant regioni jam albæ ad messem operari, nec desint qui parvulis potentibus panem frangant, data in tempore tritici spiritualis mensura.

2 Præter media autem erigendi Seminarium à SS. Concilio Tridentino præcripta, congruum judicamus, ut Clerici quicunque, pro qualitate suorum beneficiorum, & ratione temporis quo Ecclesiæ bonis gavisi sunt, ad pium hoc opus, in testamentis suis, ultimisque voluntatibus, Nobiscum debite concurrant, nec ullus testamentum condat, in quo Seminarii Nostri liberaliter non meminerit.

#### C A P. VII. *De Cultu Divino, Officiis, & Ceremoniis Ecclesiasticis.*

1 R eligio, cuius prima quasi radix est Fides, non solum insita debet esse animo, sed in externos etiam pietatis actus prodire, qui actus variis admodum sunt, Eliciti, Imperati, Interni, Externi, Publici, Privati. Nos de pluribus, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, quo pacto exercendi sint, à Clericis potissimum divino cultui initiatis, nonnullos præscribemus.

2 Officia itaque divina omnia, eo quo debent tempore, modo & methodo, pie ac graviter peragantur. Et, cum Breviaria, Missaliaque propria Dicecessis Nostræ, olim edita, vix amplius, vel non nisi cum defectu aliquo, &

*Seff. 23.  
c. 18. de  
refor.*

minus